

FERDINANDI III. IMPER & REGIS DECRETUM I. ANNI 1638. ARTIC.
POST CORON.

Diploma super conditionibus, per suam Majestatem Statibus et Ordinibus, tempore felicitis inaugurationis et Coronationis suae concessum; Diaetae Constitutionibus inseritur.

Articulus 1.

§. 5. *Quarta Conditio.* Confiniorum vero Praefecturas, Capitaneatus et alia Officia, tam in hoc, quam aliis Regnis annexis; Serenitas sua, juxta Art. 11. ante Coronationem An. 1608. editum conferet.

§. 8. *Septima Conditio.* De Banatu etiam, quae in eodem Art. 11. Anni 1608. continentur; similiter et de Valachis, Annor. 1604. Art. 14., Anni 1608. Art. 9. et Anni 1613. Art. 39. effectuat.

Mediam Tricesimam in Croatia et Sclavonia proveniente, Tricesimator Nedelicensis, percipit: Is ordinario Regni Sclavoniae Exactori consignet, in usum exolutionis Militis Colapiani erogandam. Tricesimatores Salario consueto contenti sint.

Articulus 7.

In Regnis vero Croatiae et Sclavoniae, ab eisdem Quaestoribus proveniens dimidietatis praetactae pensio, per Sacratissimae suae Majestatis Supremum Tricesimae Nedelicensis Exactorum, hactenus exacta; ac non tantum in duos praescriptos Annos, sed deinceps etiam exigenda, juxta Angariales rationes a Tricesimatoribus illorum Regnorum accipiendas, ordinario Regni Sclavoniae Exactori consignari; per dictum vero Regni Sclavoniae Exactorem, non alio, quam in exolutionem Militis Colapiani (quem iidem Croatiae et Sclavoniae Regnorum Status et Ordines, cum gravamine Subditorum suorum annuatim, usque ad feliciora tempora, exolvere consueverunt) converti debet. *)

§. 1. Tricesimatores vero, cum et alios exigua ibidem eadem proveniat pensio; Tricesimali duntaxat Sacratissimae suae Majestatis salario, pro hoc quoque labore sint contenti.

Restantiae pecuniariae contributionis pro Conservatoribus et Custodibus Coronae per Cameram Ungaricam exigendae. Ad rationem eorundem nova Contributionis impositio decernitur. Perceptoratus officio fungetur Egregius Andreas Kerekes.

Articulus 8.

§. 2. Ita etiam in Regno Sclavoniae, juxta consuetudinem ipsorum, dimidium solvatur.

*) Urgetur; An. 1647. a. 34. An. 1659. a. 86. Confirmatur; An. 1649. a. 2. et 4.